

secundum inpositionem eis factam de dictis armis, etiam sub pena decem sold. par. pro qualibet arma deficiente.

Cap. LXI. Rubrica de collectoribus olivarum et uvarum et laboratoribus terre et salinarum et secatoribus bladi et feni et solutione.

- 90 B **O**rdinamus quod collectores olivarum pro suo // labore quolibet die quo collegent olivas habere debeant duos frx. cum licofo, si fuerit masculus, si vero fuerit femina habere debeant unum frx. cum licofo. ¶ Et sapatores qui laborabunt pro denariis et aliqua persona recipere debea[n]t et habere sex sold. par. et sex par. pro licofo pro quolibet tempore ligonandi, et non plus, et nulla persona audeat eisdem plus dare quam supra dictum est, sub pena decem sold. par. pro quolibet, tam dante quam recipiente, solvendum incontinenti asque proclamatione excusarum, et quelibet persona possit accusare contrafatientes sacramento. ¶ Et. recipere debeant quilibet laborans pro denariis, scilicet pro potatura pastinatura tres sold. cum licofo, scilicet a festo sancte Marie de mense septenbris usque ad primum diem mensis ¹⁾ marcii, et a primo die mensis marcii usque ad primum diem mensis madii tres sold. cum dimidio, et a primo die mensis madii in antea usque festum sancti Michaelis sold. quatuor cum licofo, et non plus recipere quam ut dictum est, sub pena decem sold. par. pro quolibet contrafatiente, et dominium Tergesti teneatur singulis octo diebus inquirere de predictis, pena decem libr. par. pro quolibet dominio. ¶ Item quod nullus operarius qui laboraret cum aliis audeat nec presumat conducere vel conduci facere suum asinum sive asinam secum ad aliquod laborerium extra civitatem // Tergesti, sub pena decem sold. par., et quilibet accusare possit contrafatientes et habeat tertium condemnationum et sibi credatur. ¶ Item quod nullus laborator, qui promisseri(n)t alicui ire ad laborandum cum ipso, possit nec
- 91 A

¹⁾ *ensem.*